

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

AD IOHANNEM VVOLPHIVM Tigurinum Epistola.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

AD IOHANNEM VVOLPHIVM

Tigurinum Epistola.



*U*scis, doctissime Vvolphi, boni viri, multò verò magis verbi Dei Professoris esse, ita se & in officio et in sermonibus totaq; vita gerere, ut eum nemo vel de villo facinore, vel etiam de alicuius facinoris suspitione accusare merito possit. Quae enim Apostolus ad Timotheum & ad Titum de Ecclesiastici praconis (quo nomine non tantum Pastores, sed Doctores quoq; & omnes verbi Dei ministros atq; interpretes intelligo) scribat officio: optime nosti. quid dico nosti: imò tu ipse me tua elegantissima oratione in ea Apostoli verba 2. Timot. 2. Stude te ipsum probatum exhibere Deo, docuisti. Illud quoq; te non latet, eiusde viri boni esse, si sentiat se sine dō τῶν κερτῶν, ut ait Chrysost. sine dō τῶν ἐλατῶν, sine dō τῶν σωτῶν, sine dō τῶν ἀσωτῶν immerito atq; falso traduci (quoniam reuera omnis calumniator ἀσωτῶν est) sese suamq; existimationem, & ministerium, si quod obeat, tueri atq; defendere. Quoties enim Apostolus a suis aduersariis pseudoapostolis, pigris ventribus & inflatis viribus, traductus, & variis grauissimisq; criminationibus affectus, sese & suum ministerium defenderit, nouimus omnes. Sed ut id a nobis fiat cum modestia, idē Apostolus docet suo exemplo: & Salomon confirmat, cum inquit Proverbiorum cap. XXVI. Ne responde stulto iuxta stultitiam suam: ne forte similis ei fias etiam tu. Proinde eleganter & pie (ut omnia) Chrysostomus inquit: τὸν ἀπερ-
σῶτα sine in Ecclesia, sine in Schola: δὲ ἀπὸ πάντας, περὶ ὧν ἐγκαλῶσι διαλύειν, μετὰ πολλῆς τῆς ἐπι-
εικείας καὶ περὶ τῆς συγγινώσκοντα μᾶλλον αὐτοῖς τῆς ἀλόγῃ μὲν φέρεται ἢ ἀνακτοῦντα καὶ ἐργιζομένου.

Ergo quod ego quoq; multas in me, ideoq; in meum ministerium sparsas criminationes, calumnias, & βρομὰς καὶ ἐπηρεάς καὶ μέμψεις non prorsus contemniam, sed meam existimationem, meumq; ministerium, quo ad eius fieri potest, & quā possum modestia, defendam, curemq; ut non solum falsa crimina depellam, sed etiam criminum suspitionibus me liberem: nullus, credo, vir bonus & iudicio praeclitus mirabitur. Eī ὁ μακάριος Παῦλος (inquit Chrysostomus) καὶ κλοπῆς ὑπόνοιαν λάβη παρὰ τοῖς μαθηταῖς, ἐδείξεν, καὶ διὰ τούτου περὶ λαλῆναι ἐτέρους εἰς τὴν τῶν ζημιῶν διακονίαν, ἵνα μὴ περὶ ἡμᾶς μωμῆσινται (φθορῇ) ἐν τῇ ἀδρόνῃ ταύτῃ τῇ διακονίᾳ ὑφ' ἡμῶν πῶς ἡμᾶς ὁ δεῖ πάντα ποιεῖν, ὡς τε τὰς πορνείας ἀρελεῖν ὑποφίας, καὶ ψευδεῖς, καὶ ἀλόγιστοι τυγχάνωσιν εἶναι, καὶ σφίδρα τῆς ἡμετέρας ἀπέχων διέξῃς. In hunc finem mitto ad Te, mi cariss. Vvolphi, has meas praelectiones: ut eas communices cum Domino Bullingero nostro, Petro Martyre & reliquis doctis piisq; patribus & fratribus: & rogo, ut, sicut etiam fecistis de Thesibus, eas ad Lydium lapidem S. Scripturarum diligenter examinatis: atque si quid in eis deprehenderitis, quod non sit conso-
num S. literis, illius me liberè admonetis. Si verò omnia vobis orthodoxa esse videbuntur: id ipsum quo-
que mihi significetis per Epistolam: ut vestro de iis meis lectionibus iudicio Dominis ostēso, finis tandem aliquando huic nostrae controuersiae imponatur. Neq; enim videtur amplius quaestio esse de Thesibus, sed tantum de iis praelectionibus: quod has quidam dicant esse prorsus intolerabiles, cum Theses utcuq; tole-
rari possint. Ergo si etiam lectiones vobis & aliis doctis Theologis probatae fuerint (dico quod ad substan-
tiam doctrinae attinet. nam quod ad stylum, rerum dispositionem, & argumentorum explicationem: ego quoq; multa in eis desidero, sed quia quaestio de illis est ut in Schola a me habita fuerunt: praesertim de illis quas annis abhinc sex circiter de Praedestinatione habui: iccirco nihil in eis potui aut debui pro hoc tempore immutare: immutaturus alioquin multa et eliminaturus, si mihi licuisset.) Si igitur quod ad sub-
stantiam attinet doctrina, haec quoq; lectiones vobis probatae fuerint: spero breui & Dominos nostros in primis, & deinde nos reliquos omnes, magnis liberatum iri molestiis, quod ut Dominus facit, etiam atq; etiam rogo, & verò etiam cum facturum cōfido. Neq; enim potest Ecclesiam suam deserere: quoniam ad tempus permisit Sathanae ut cribraret nos. imò spero hanc cribrationem futuram & Scholae & Ec-
clesiae vtilissimam. cribratione enim non perditur, sed purgatur frumentum.

Quae autem ad Te mitto, haec sunt: Tractatio de fine seculi: Inchoata tractatio de Perseuerantia San-
ctorum in fide non enim licuit mihi (ut scis) in Schola eam absoluere: sed absoluam aliàs Deo fauente. Has ego ipse Consilio nostro Thomano, cum ibi causa nostra ageretur, sicut sunt, & sicut in Schola a me habita fuerunt: legendas & examinandas exhibui: quoniam de principio haec duae tantum ab amico in Schola & in Consilio, damnatae fuerunt: & controuersia nostra ab his duabus initium sumsit. Mitto de-
inde tractatiunculam de libro vite: item tractationem de Praedestinatione. Has duas habui annis abhinc sex aut septem, cum Iesaiam interpretarer. Nunc primum autem, nimirum post excitatam hanc contro-
uersiam: eas accusatores mei ex commentariolis studioforum describendas curarunt (sed qua fide aut illi scripserint, aut alij descripserint: nouit Dominus) atq; Dominis nostris 13. Viris, causa iam a Consilio nostro Thomano ad illos translata, tanquam impiae, legendas dederunt. Mitto praeterea caput vnum cu-
iusdam meae tractationis, quam nuper cum Epistolam Ioannis interpretarer: habui de Christo aduoca-
to nostro, hoc est, electorum. Item caput vnum ex tractatione de remissione peccatorum, quam habui in caput primum eiusdem Epistolae Ioannis, excerptum. Haec etiam duo capita, tanquam absurda atq; im-
piae

piam doctrinam redolentia, aduersarij mei Dominis exhibuerunt. Ego vero certis de causis adieci primum tractatunculam de Gratia: deinde tractationem de excacatione Impiorum: tertio tractationem de redemptione Ecclesie per Christum: postremo initium mee interpretationis in 2. cap. epist. Ioan. cum τα-εξελος de studio vitandi peccata, in illa verba: Τελία μὲν, ταῦτα γὰρ οὐ μὴν ἀμάρτυρε. Cur adiecerim tractationem de redemptione Ecclesie: causa hac est precipua, quia traductus fui quod de Prædestinatione docuerim atq. doceam ut homines adigam ad desperationem, quod nesciant an ipsi ex illorum sint numero quos doceo esse ad vitam eternam prædestinatos, necne. Contra hanc calumniam est septimum caput de redemptione Ecclesie. Et si enim nego omnes in uniuersum homines esse ad eternam salutem Prædestinatos: & affirmo certum esse numerum electorum & certum reprobatorum, & quidem pauciores esse electos quam sint reprobi, idq. iuxta Scripturas: non doceo tamen hac ita, ut homines adigam ad desperationem: cum doceam etiam neminem debere de sui per Christum salute, ac proinde neq. de sui in Christo ad salutem, eternamq. vitam electione dubitare: imò omnes teneri credere se esse ex numero electorum. Quoniam autem hoc cum alibi sæpius, tum speciatim & ex professo in illo septimo capite de redemptione Ecclesie demonstravi: ideo ut illa me calumnia cum apud Dominos, tum apud omnes pios purgare: tractationem hanc alijs de prædestinatione scriptis volui adijcere. Quæ vero est de excacatione impiorum: ideo adiunxi, quod infamatus fuerim quod docerem, Deum homines pro suo tantum arbitrio, non propter illorum scelera excacare. Contra hanc calumniam est caput illius tractationis tertium: ubi causas cur Deus quos excacat, excacet, explico: atq. doceo, causam impulsivam, seu a qua (ut ita loquar) mouetur Deus ad excacandos quos excacat: duplicem esse. Vnam in ipsis hominibus qui excacantur: et hanc esse illorum scelera atq. in primis perniciam contra Deum. Alteram in Deo: & hanc esse liberam ipsius voluntatem: qui cum posset iure omnes excacare (in omnibus enim inuenitur causa excacationis) non omnes tamen excacat, sed certos quosdam, nempe quos vult: sed id semper iustissime, tum quia ipsius voluntas iusta semper est: tum quia qui excacantur, iustissimam Deo sua excacationis causam præbuerunt. Interpretationem porro sectionis 1. cap. 2. Epist. Ioan. contra aliam calumniam adiunxi. quidam enim sparserunt, me de Sanctorum fide & in ea Perseuerantia ita docere, ut sentiam & dicam, Peccatum regnans stare cum fide, h. e. postquam semel quis accepit veram fidem à Deo, & semel fuit iustificatus, etiamsi postea admittat quævis scelera, legemq. Dei seruare contemnat: nunquam tamen eum amittere fidem, sed semper manere fidelem, iustum et sanctum. Contra hanc grauissimam horrendamq. calumniam, sunt multa mea prælectiones quas in lucem proferam Deo volente: sed in præsentia volui contentus esse iis quæ docui in ista verba Ioannis: Τελία μὲν, ταῦτα γὰρ οὐ μὴν ἀμάρτυρε. item, Ἐν τῷ τῷ γινώσκοντες ὅτι ἐν νόμῳ αὐτῶν, ἐὰν τὰς ἐντολάς αὐτῶν τηροῦμεν. ubi doceo, duo esse studia in quæ Christiano homini perpetuo sit incumbendum: studium sanctitatis seu vitandi peccata ac seruandi legem Dei: & studium pietatis seu fidei de remissione peccatorum in Christum, & per hunc in Patrem collocanda & firmanda, & hæc duo studia ita simul esse coniuncta, ut alterum ab altero separari non possit. Quare qui iactant se fidem habere in Christum, & interim non student lege Dei seruanda, sed vitro sese in omne genus flagitia projiciunt, in iisq. perseuerant: eos iuxta Apostolum mentiri: propterea quod fieri nullo modo possit, ut fides vera à studio seruanda legis Dei separetur: id quod idem est ac si dicas, fidem cum peccato regnante non posse consistere. peccatum enim in illis est, et dicitur propriè regnans, qui sine ulla contradictione aut repugnantia, ex animo & plena voluntate, illius concupiscentiis tanquam mandatis regis obtemperant, & obtemperare semper parati sunt: id quod cerè in electos & verè sanctos nunquam cadit. Postremo adieci tractationem de Gratia: hac de causa, ut omnib. patefiat, etsi doceo, totam salutem nostram ex sola Dei gratia pendere: me non tamen excludere à salute nostra, multa variaq. media quib. hæc Dei gratia vititur ad salutem vitamq. eternam nobis communicandam: ac proinde me non esse Sacramentorum, Ecclesiastici ministerij, deniq. bonorum omnium contemtorè. Posui verò ad calcem summam cuiusq. tractationis atq. lectionis, certis thesibus cõprehensam: ut qui noluit vel non possunt omnia illa legere: saltè ex istis Thesibus, qualis sit mea doctrina de his articulis, citò & perspicue possint cognoscere. Mitto ad extremum depulsionem multarum calūniarum non tantum voce contra me sparsarum, sed etiam scripto comprehensarum, & Dominis meis exhibitarum, alijsq. nonnullis communicatarum. Habes, mi doctissime frater, quæ ad te mittam, & quib. mittam de causis. Et si verò dolendum est vehemèter tales inter nos excitatas & huc usq., h. e. usq. in menses 17. protrahatas fuisse controuersias: irasci tamen nobis minimè debetis, sed potius pro nobis Deum orare, ut post hæc tantam Sathana vexandi nos auctoritatē, sicut his 17. mensibus fecit, ne permittat. nostros etiam affectus, corda & corpora in sui amore atq. obsequium magis ac magis refingat, ita ut nihil nisi ipsius gloriam & Ecclesie salutem curemus. Si enim hæc duo tantum spectaremus semper omnes: proculdubio vel nulla unquam orirentur inter nos dissidia: vel exorta statim amicis colloquijs tollerentur. Quod si Deus velit his rationibus & veritate suam illustriorè reddi, & nos in id genus pugnis exerceri, donet nos saltè Spiritu sue sapientie & fortitudinis, h. e. tanta sapientia, fortitudine atq. constancia, ut veritate ipsam quæ est Christus, non tantum velimus, sed etiam sciamus & possimus non minus sapienter quam fortiter, aduersus carnem & sanguinem, imò aduersus principes & potestates tenebrarum harum, defendere: atq. ita defendere, ut ea tandem expugnatis hostibus omnibus, sola ubiq. triumphet. Vale.